



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. Quinam possit Tributum imponere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

55. *Contravenientes huic Gregorij XIV. constitutioni possunt ne ab Episcopo absolui? Ex multorum sententia possunt. Ego Filliuc. cum Filliucio pro multis vno, sentio excommunicationem illam Summo esse Præsuli referuatam.*


56. *Reconciliatur quis inimico cum fideiussione de non occidendo, postea tamen illum occidit: fruitur ne Ecclesia immunitate? Affirmo, quia non dicendus absolutè proditorie occidisse, nisi intercessisset arctior aliqua amicitia simul comedendo, alloquendo, &c. vnde poterat præsumi non oblitum fideiussione adhuc odium durare.*

Pal. 57. *Occidens Clericum fruitur ne immunitate? Ita quidem, quia licet sacrilegium commisit, excipiuntur tamen in Bulla homicidia proditoria, & per assassinium commissa. Sic Castri. Colligo etiam assassini mediatorum immunitate frui, qui excipiuntur tantum assassini, sub quibus mediatores non comprehenduntur.*

Pal. 58. *An Clerici & Religiosi confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudeant? Ex doctrina Castri respondeo pro criminibus non exceptis in Bulla ad Templum confugientes non posse à iudicibus Ecclesiasticis, aut Superioribus extrahi absque summi Præsulis licentia sub pœna excommunicationis. Excipio eos Religiosos, qui in propriis Monasteriis delinquant; possunt enim à Superioribus puniri salva immunitate. Quamvis hoc etiam probabiliter alij negant, cum non preuentur immunitate peccantes in ipsis Ecclesiis nisi per homicidium, & mutilationem.*

Suar. 59. *Polluitur ne Ecclesia, si infans in matris mortua impoluitur a utero moriatur? Suarius pollui affirmat.*

Suar. 60. *Per copulam conjugalem quid? Idem Suarius docet in templo licere ad vitandam incontinentiam, quando alibi licere non licet, neque templum tunc pollui.*



### EXAMEN V.

De statu seculari circa materiam de Tributis.

#### CAPVT PRIMVM.

*Quinam possit tributa imponere?*

S. T.  
Tributa  
à quo-  
nam?

I. **R**egolens qua dixisti sigillo 1. circa quartum Decalogi præceptum quæque sigillo 2. de peccatis status seculari adhibet



adiciunt, in presenti solum de Principis Tributis impositis, de Iudice, Teste ac Reo agendum nobis est. Requiro igitur, quisnam possit tributum aut gabellam imponere? Qui Superiorem non habet in temporalibus, vel cui ipse id concesserit, vel consuetudo præscripta.

2. An Episcopus possit? Potest quidem in Ecclesiis, sibi pleno iure subiectis cum Capituli consensu ex causa tributum, seu pensionem imponere.

3. Potest ne dominus temporalis, aut communitas inferior urgente necessitate imponere tributum aut talliam? Potest; non enim id prohibitum, sed gabella ordinaria populum grauens.

4. Potest adesse tyrannis in tributo? Tyrannicum est, si causa non sit iusta. Imo si licet iusta sit, non sit proportionata, ita ut vires Regni ac populi ~~non~~ excedat, alioquin erit tyrannicum.

## CAPVT II.

### De obligatione subditorum circa tributa.

5. Debent ne subditi tributa soluere? Debent prorsus, si iuste sint imposita.

6. Potest ne Princeps tributum per vim aut metum extorquere? Potest equidem, quando causæ exigendi iustæ sunt; quia illud Principis est.

7. Quodnam peccatum committunt vectigalia iusta fraudantes? Si materia sit sufficiens ad mortale, mortaliter delinquant, & ad restitutionem tenentur. Scio à Maldero & aliis contrariam sententiam defendi, quam reiiciendam existimo.

8. Dubitatur, an vectigal sit iuste impositum, & sunt utriusque probationes: solui ne deber? Soluendum cenfeo; quia in dubio pro Rege præsumendum, Vasquez authore.

9. Obligant ne noua gabella? Non obligare aliqui affirmant, nisi constet legitimè impositas. In dubio dixi pro Principe præsumendum de iustitia. Si gabella sit antiqua, non dubium quin pro Principe præsumi debeat, cuius possidentis melior conditio.

10. Sunt ne soluenda gabella imposita pro rebus ad proprium Regis aut Principis usum delatis? Communiter hæc habentur iniquæ, et si quidam id negent si iusta aliàs causa imponant. Iniquas